



M.-s. 1297

Am F.  
R

2197.6

F. A. 3 May 3  
1831 oho



41

ELEGIA  
SCRIPTA AD

AMPLISSIMOS VIROS, SA-  
PIENTIA, VIRTUTE, ET ERUDI-  
TIONE EXCELLENTES, D. LEONHARTVM  
TVCHERVM, D. ANDREAM im HOFF, & D. HIE-  
RONYMVM BOMGARTNERVM, PA-  
tricos & senatores primarios in Incly-  
ta Noriberga, lue ibidem graf-  
sante. Autore

M. GEORGIO MAURICIO  
NORIBERGENSI.



VVITEBERGÆ  
EXCVDEBAT IACOBVS  
Lucius Transylvanus.  
ANNO M. D. LXIII.

AMPLISSIMIS ET  
CLARISSIMIS VIRIS, PIE-  
TATE, SAPIENTIA, ERVDITIONE ET VIR-  
tute excellentibus, D. Leonharto Tuchero, D. An-  
dree im Hoff, & D. Hieronymo Bomgartnero, pa-  
tricijs & senatoribus primarijs in inclyta Noriber-  
ga, Dominis & Patronis suis perpetua ob-  
seruantia colendis, M. GEORG  
VS MAVRICIVS  
S. D.

CVm subit afflictæ patriæ mihi tristis imago,  
Cùm repeto vestra qui sit in vrbe status:  
Sæpè graues alto gemitus de pectore duco,  
Et cadit ex oculis plurima gutta meis.  
Nil mihi, si superos & sacra volumina tollas,  
Natali poterit dulcius esse solo.  
Me ferrum, & scopulos gestare in corde fatebor,  
Et dicam silices pectus habere meum,  
Si me non patriæ moueat tristiſſima nostræ  
Conditio, quam nunc vrget iniqua lues.  
Hæc dedit in lucem, primis hic altus ab annis,  
Hinc dona ingenij qualiacunq; mei.  
Quæ tua Magne Parens ira est? Quo numine læſo  
Tàm tristes pœnas patria nostra luit?  
Hanc né vrbem, cuius pietas, constantia nota,  
Cui ſincerus adest relligionis amor,

Quæ

Quæ fouet ingenuas permagnis sumtibus artes,  
Quæq; suo doctos ornat honore viros,  
Hancnē yrbem perdes? Nec te pia flectere vota,  
Plurima quæ mæsti fundimus, ylla valent?  
Ne verò, ne perde Deus tua iussa colentes,  
Serua reliquias agminis, oro, tui.  
Phæbe pater, nam te latum medicina per orbem  
Autorem studij gaudet habere sui,  
Tu mibi, tu caussas aperi, fontesq; latentes  
Morborum, & fugiant qua ratione, refer.  
Quis putet ipsa anni certis accommoda morbis  
Tempora? quis rapidis febribus apta putet?  
Tempore quo vacuas implet vindemia cellas,  
Et quo cultor agri dulcia poma legit,  
Tum crebro funesta lues mortalibus ægris  
Incidit, & morbis languida membra iacent.  
In promtu caussa est, tum crescit inutilis humor,  
Acquiritq; alium, quam fuit ante, statum.  
Quo tandem in peius mutato, plurima morbis  
Corpora lethiferis debilitata gemunt.  
Ipse pater yatum, cuius de stirpe tot yrbes  
Egregia certant nobilitate, canit,  
Humanam folijs similem vitam esse caducis,  
Quasq; feruni nitidas mollia prata, rosis.  
Nam velut hæ crescunt, viridiq; in cespite florent,  
Inde tamen, spirat cum leuis aura, cadunt:

A 2

Ac

*Ac velut Autumno solitus cùm deficit humor,  
Exuitur vernis arbor opaca comis:  
Plurima sic varijs languescunt corpora morbis,  
Inficit & miseros perniciosa lues.  
Idq; magis, teneras vbi calcat vinitor vuas,  
Iamq; suum finem feruidus æstus habet.  
His faciunt exempla fidem, quæ plura leguntur,  
Quām puto describi carmine posse meo.  
Sæpè malum hoc populos, sæpè infestauit & vrbes,  
Si quid habent veri carmina, sicut habent.  
Palladij testantur agri, quos lethifer æstus  
Corripiens, letho corpora multa dedit.  
Oenopiæ regnis, iustus dum sceptratenebat  
Æacus, immisit Juno seuera luem.  
Dira Palæstinam quoties inuaserit oram  
Pestis, habet multis pagina sacra locis.  
Assice Niligenas, qui sarcina matribus olim  
Prima suis fuerant, hoc periere malo.  
Vno sæpè die, tanta est violentia morbi,  
Sunt data funestæ millia multa neci.  
Et magis atq; magis latè contagia serpunt,  
Afflatusq; suo, & transitione nocent.  
Hæc mala, permisso diuini numinis, Orci  
Perfida spirituum turba ciere solet.  
Hi sunt authores, sunt fons, & origo malorum,  
Quæq; solent terris, quæq; ciere mari.*

*Nam*

Nam licet ex causis naturæ multa periti,  
Astrorum & positu multa docere queunt:  
Hæc agitante tamen fieri Cacodæmone, passim  
Et sacra, & vatum scripta profana monent.  
Excitat hic morbos, putridasq; in corpore pestes,  
Quaq; potest nobis arte nocere, nocet.  
Quin subito mortale genus (tam sanguine gaudet)  
Perderet, obstaret ni pia cura D E I.  
Hunc prædonem hominum, funestum hunc esse latronē  
Afferit æterni filius ipse Dei.  
Hoc autore perit septemplicis accola Nili,  
Dum populi cultus impedit ille sacros.  
Quin etiam sancti diuina volumina Mosis  
Hæc à cœlesti numine facta canunt.  
At sacri vates operis, Iesseia proles  
Explicat, & magna cum grauitate docet,  
Per Genios, turbam gaudentem cæde cruenta,  
Factaq; permisso numinis ista refert.  
Hinc igitur laqueosq; vocat, dirasq; sagittas,  
Quas, medium cœli Sole tenente, iacit.  
Ceu volucrem laqueis, quos callidus abdidit auceps,  
Decipit, in casses vt cadat illa suos:  
Ac ceu venator, ceruis qui retia tendit,  
Conijcit in trepidam spicula multa feram.  
Ergo etiam cum nos tam dirus & efferus hostis  
Impetat, & lædat viq; dolisq; bonos:

A 3 Nequitias

Nequicias huius contra, fraudesq; malignas  
Quærenda est animis certa medela pijs.  
Quærenda è cœlo grauium medicina malorum,  
Hostica qui nouit tela, cauere potest.  
Hoc alius nemo vafra tenet aptius artes,  
Siue armis libeat, siue nocere dolis.  
Nec sinit elabi saeuis accommoda damnis  
Tempora, cum fraudi resq; locusq; datur.  
Naturas igitur (nam nemo peritior astris)  
Anxius obseruat, facta hominumq; notat.  
Polluit æthereas nebulis malevolentibus auras,  
Aëre dum crasso dira venena iacit.  
Cùm, quæ sunt furijs, furtis, & idonea fraudi,  
Dulcia tranquillæ tempora noctis eunt:  
Aut ubi finduntur siccata vaporibus arua,  
Flammigero medium Sole tenente viam:  
Aut ubi frigidior iusto nos circuit aër,  
Dum Phæbi radios vesper & ortus habent.  
Hinc rapidæ crescunt putrefacto in corpore febres,  
Mutatusq; humor contrahit inde malum.  
Sæpius ignavi lædunt contagia morbi,  
Sordida cum calidis membra lauantur aquis.  
Nam cum cæruleo teneros sudore meatus  
In raro penetrat corpore virus edax.  
Quin cœnosa palus, & concava fornicis antra  
Non rarò tacitum virus habere solent.

Illa

Illa quod est stagnans, & multo fætida limo,  
Hæc quod in his aër clausus vbiq; latet.  
Indefit, vt fallax, multo qui funere gaudet,  
Spargat liberius tetra venena Sathan.  
Namq; vbi fraude aliqua corruptas polluit auras,  
Iamq; venenato cuncta vapore madent,  
Excitat hic subito contagia dira per vrbes,  
Lethaliq; cadunt corpora multa lue.  
Viscera flaccescunt primùm, flammisq; fatiscunt,  
Maior & hostorret quolibet igne calor.  
Indicium rubor est, & tractus anhelitus ægrè,  
Ora patent miseris, aspera lingua tumet.  
Concurruntq; acres tot in vna peste dolores,  
Quotq; salum pisces, ouaq; piscis habet.  
Coniurasse omnes morbi videantur in vnum,  
Quod cupiant sœua tollere morte, caput.  
Dum tandem misere cogantur ponere vitam,  
Cumq; suo finem funere morbus habet.  
At tu sollicitus cupida si mente requires,  
Permittat fieri cur mala tanta Deus?  
Tot grauium scelerum terraq; mariq; patratur,  
Tām nos in vicium dedita turba sumus,  
Vt neq; nos pietas flectat, rectiq; cupidio,  
Feruida nec moueat vindicis ira Dei.  
Ille voluptates sectatur, & ocia vitæ,  
Hic vt possideat iugera multa soli.

Thefauros

*The sauros alius cumulat tellure refosso,  
Post habitaq; aurum relligione colit.  
Quando igitur prauis indultum est vndiq; votis,  
Quid mirum si nos obruat ira Dei?  
Nec tamen hic omnes irarum effundit habenas,  
Immensa parcit pro bonitate pijs.  
Nec facit, vt perdat, miserarum si quid in orbem  
Pœnarum immittit, perdere posse sat est.  
Punit, vt errorum pudeat, scelerumq; perosis  
Numinis incutiat cum pietate metum.  
Admonet absorptis Pharijs, mersisq; profundo,  
Quam grauis offendit res sit habere Deum.  
Cum fremeret Mosen contra, cultusq; receptos  
Libera seruitio, sediciosa cohors,  
Absunti periœre lue bis millia septem,  
Contemto sequitur pœnaq; certa Deo.  
Illi uie, taboq; putri perit alta Corinthus,  
Dogmata dum Christi non reuerenter habet.  
Pœna tamen patria est, velut hic non morte cruenta,  
Sed ferulis natos ad meliora vocat:  
Sic non vt pereant, sed enim meliora sequantur,  
Castigat simili, quos amat, arte Deus.  
Sæpius ærumnis magno impendentibus orbi  
Subducit, videant ne mala tanta, pios.  
Eripit & pueros, illos ne turba malorum  
Corrum pat, facile his improba turba nocet.*

*Dogmate*

Dogmate neu forsan prauo inficiantur adulti,  
Quām citò dogma malum corda tenella bibunt?  
Caussa mibi exposita est, me iam solatia, Musa,  
Quāq; malum possis arte leuare, mone:  
Tanta Deo cura est hominum, clementia tanta,  
Tām generis nostri flagrat amore Deus,  
Vt nec vel capit is pilus, (et quid vilius illis?)  
Ni magno superūm Patre iubente, cadat.  
Sit licet astutus Dæmon cupidusq; nocendi,  
Non tamen hic ylla læserit arte pium.  
Omnia quod validis numen moderatur habenis  
Continet hæc forti dura flagella manu.  
Et nulli nocuisse potest sine numine Diuūm,  
Ulterius nec quo progrediatur habet.  
Isaïdes testis, censa qui plebe sat, ô sat  
Sentit quām læsi sit grauis ira Dei.  
Libera confessio crimen datur optio Regi,  
Quicquid erat, certè hæc optio tristis erat.  
Elige propositis vnum è tribus, elige Dauid,  
Bello, peste, fame, vaticinator ait.  
Pœnam qui meruit, pœnam pro crimine soluat,  
Hæc est iusticiæ regula stricta Dei.  
Corda micant Regi, sentit riguisse capillos,  
Feruidus exanimi corpore sanguis abit.  
Tollere ter voluit vocem: ter inutilis hæsit  
Lingua: ter in trepido destitit ore sonus.

B

Vt

*Vt tandem potuit lacrimis humentibus ora,  
Vix ea cum gemitu lingua coacta dedit:  
Angor, ait, pauidoq; horrent mihi membra tremore,  
Tām feriunt aures nuncia dura meas.  
Sed melius sentire tuam Pater optime dextram,  
Excellens bonitas nam tua fine caret.  
Tu meritas aufer Pater ô Pater optime pœnas,  
Nam tibi seruatus gloria maior ero.  
Hic dextram Domini pestem vocat, ergo ferendam,  
Ergo salutarem iudicat esse pijs.  
Romani dixere luem, quod numine læso  
Hac scelerum pœnas turba profana luit.  
Sed mens pressa malis teneat solatia firmo  
Pectore, quod fiunt cuncta sciente Deo.  
Qui nisi permittat, vana est, sine viribus, ira  
Hostis, & optatum pondus habere nequit.  
Nonné Dei defensa manu pia turba latebat,  
Hoc tristi Pharios exagitante malo?  
Non fuit hic hominum multis è millibus vnus,  
Quem premeret seui pars quotacunq; mali.  
Non modò non mulier, neq; vir, neq; paruulus infans,  
Sed nec in hirsutis vngula læsa feris.  
Quid tibi, quid potuit pestis nocuisse maligna  
Ezechia? viuo numine cinctus eras.  
Ensignum, flexis retrò Sol cessit habenis,  
Quam data sunt fidei præmia magna tuæ?*

*I nunc*

*In nunc, & precibus iacta insuperabile fatum,  
Ferre & numen opem Stoice posse nega.  
Plus fatis pia vota valent, Res, ardua quanquam,  
Difficilis factu nulla putanda Deo est.  
Duro etiam quamvis Adamansi incisa feruntur  
Ledere cogentur fata, iubente Deo.  
Hunc penes auxilium, penes hunc custodia nostri,  
Hunc etiam contra fata rogamus opem.  
Angelicos hominum cætus dedit esse ministros,  
Hos arcere pijs dura pericla iubet.  
Daudem hi seruant perculsum corda timore,  
Dum se se caussam iudicat ille mali.  
His Esaias tegitur, custodibus illis  
Feruida pulsa sacro cedit Arone lues.  
Hac ratione pios agmen cœlestè tuetur,  
Adde quòd hic munus gaudet obire suum.  
Tu modò ne quid agas temerè, sed muneris intra  
Debita quisq; stude septa manere tui.  
Nam qui se temerè certa in discrimina mittunt,  
Nec viciosa cauent seu loca, siue domos,  
Et turpi dant frena gulæ, peiora secuti,  
Custodesne horum flamina sacra putas?  
Si nescis, dubium solet absorbere periculum,  
Qui vag a præcipiti mente pericla subit.  
Non tamen omnino tibi defugienda memento  
Officia, ignauos non decet esse pios.*

B 2

Ne

*Nemetus ille malite visere terreat ægros,  
Si tua præsentem functio poscit opem.  
Victus amore pio, cognato sanguine victus,  
Sint licet infecti iure vocatus adis.  
Seu iubet id socium cum dulci fædus amico,  
Seu iubet officium, nulla pericla time.  
Te chorus angelicus velut in statione locatus  
Protegit, & Sathanæ tela cruenta fugat.  
Siue cadis, Domino cadis, est mens conscientia recti,  
O quantum est magnis crimen abesse malis?  
Quis locus at medicis? An & hic medicamina tollis?  
Sæpius admota corda leuantur ope.  
Nil equidem melius, quam tristem abstergere labem  
Corde: libidinibus ponere frena suis:  
Communire fide: Christumq; in vota vocare,  
Ardentiq; illum sollicitare prece.  
Non etenim, non hoc aliud præsentius ullum  
Auxilium poterit, consiliumque dari.  
Sit tibi cura prior placatum reddere numen,  
Certamq; inde tuis quærere rebus opem:  
Quam, quæ dicuntur suffitibus atra venena  
Pellere, iuniperis velle leuare malum.  
Hoc tuti, pius Amramides, Iesseius Heros,  
Magnus Esaias, nulla pericla timent.  
Et tamen interea medicos accedere fas est,  
Corpora qui morbis debilitata leuent.*

*Illorum*

Illorum est etenim sanctum & venerabile munus,  
Hoc studium cælo non aliunde venit.  
Ergo tui curam medico committe fideli,  
Siue cupis tolli, siue cauere malum.  
Sed ne temne Deum, nimium confusus in arte,  
Ars sine quo medici nil operosa valet.  
Exemplum rex Aſa dabit, non ordine iusto  
Auxilium morbi dum petit, ille cadit.  
Sine herbas igitur, seu consulis ipſe medentes,  
Prima ſit in ſummo ſpes tua fixa Deo.  
Artifici locus alter erit, ſacrisq; peractis  
Auxilium medici pondus habere potest.  
Profuit interdum vicioſas linquere ſedes,  
Hoc viſum innocuae dulce ſalutis iter.  
Si quod munus habes, yrbis moderaris habenas,  
Siue ministerij pars obeunda ſacri eſt:  
Sedulus imposito fungariſ munere, nec te  
Discrimen moueat, nec timor acris agat.  
Non etenim sancti ſoluantur fœdera iuris,  
Si vel certa tibi mors adeunda foret.  
Euentum committe Deo, cui ſumma potestas,  
Qui mare, qui terras, qui regit astra poli.  
Ægrotos yiden immunes accedere Vates?  
At nec in hos quicquam mors fera iuris habet.  
Qui pœnam immittit, pœnam quoq; temperat idem,  
Quiq; malum infligit, mitigat ille malum.

B 3 Finge

Finge tamen, subeunda viro durissima fata,  
Qui manet officij pro ratione sui.  
Quid, quæso, melius tam claro funere rapto?  
Mors tristis, Virtus nescia mortis erit.  
Felices animas, quæsic profundere vitam  
Ausæ, non læsi vulnera cordis habent.  
Illi parta quies, illi post improba fata  
Iam datur æterna pace Deoq; frui.  
Cum vos ergo PATRES eadem fors improba car-  
Diraq; iam vestra sæuiat vrbe lues, (pat,  
Ista viri pietate graues, patriæq; parentes,  
Candidus in patriam scribere iussit amor.  
Quas fors ergo tulit, quas numinis alma voluntas,  
Ærumnas forti pectore ferre decet.  
Nil tutante Deo peruersi Dæmonis artes,  
Nil tacitæ fraudes, insidiæq; valent.  
Magna tenent illum quamvis molimina rerum,  
Successum aduerso nescit habere Deo.  
Hic vos Angelico stipatos agmine reddit,  
Quod fera tela fuget, sæua quod arma fuget.  
Hi TURCHERÆ tuis discrimin ab ædibus arcent,  
Natalis columen, præsidiumq; loci.  
Hi te custodes valido munimine cingunt  
ANDREA, ô patriæ gloria prima tuæ.  
Hi se magne tibi glomerant HIERONYME la-  
O vir non ipsa, quam regis, vrbe minor. (ti,  
Fortunati

Fortunati equidem, celsi quos rector Olympi  
Afferit, hunc contra dira quid arma valent?  
Hic igitur quanquam pœnas immisit in orben.  
Excedit vires non tamen illud onus.  
Nec fera tempestas toto dominabitur anno,  
Tempora post hyemis, tempora veris eunt.  
Sperate, hoc putridus Phœbo purgabitur aér,  
Et fiet merito lenior ira Dei.  
Tu Sol iusticiæ radios emitte serenos,  
Aëris & vicium discute, si quod inest.  
Tu patriæ pressæ æruminis, serieq; malorum,  
Iamq; fatigatæ luctibus, affer opem.  
Affer opem pie CHRISTE, in tespes vnica nobis,  
Hoc fieri Sathanam te prohibente potest.  
Id bonitatis opus, quali decet ore, canemus,  
Idq; ferent omnes numinis esse tui.

F I N I S





153028

AB: 153028





B.I.G.

Farbkarte #13



ELEGIA

SCRIPTA AD

A M P L I S S I M O S V I R O S , S A -  
P I E N T I A , V I R T U T E , E T E R V D I -  
T I O N E E X C E L L E N T E S , D . L E O N H A R T V M  
T U C H E R V M , D . A N D R E A M i m H O F F , & D . H I E -  
R O N Y M V M B O M G A R T N E R V M , P A =  
tricos & senatores primarios in Incly-  
ta Noriberga, lue ibidem grāf-  
sante. Autore

M. G E O R G I O M A V R I C I O  
N O R I B E R G E N S I .



V V I T E B E R G Æ  
E X C V D E B A T I A C O B V S  
Lucius Transylvanus.  
ANNO M. D. LXIII.